



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Statv Religionis Christianae, Per Evropam, Asiam,
Africam, Et Orbem Nouum, Libri IV.**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1619

Reverendis. Praesvli, D. Antonio Triesto, Brvgensivm Episcopo, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-11108



REVERENDIS. PRAESVLI,

D. ANTONIO
TRIESTIO,
BRUGENSIVM EPISCOPO,
FLANDRIAEQVE CANCEL-
LARIO PERPETVO ET
hæreditario.

EVangelicæ tubæ sonū in om-
nem terram, & fines omnis
terræ exiturum, sacrae litteræ
prædicant. Ac nostrâ quidē
auorumque memoriâ, in regiones lō-
gissimè diffitas, & antea incognitas, Hi-
spanorū nauigationibus, Christi doctri-
na penetrauit. Duæ nāque vno prope-
modum eodemque tēpore ex Hispania
nauigationes magnis animis susceptæ
fuerunt: quæ non modò Romanorū,
sed cæterarum quoq; omnium genti-
um rebus gestis meritò comparari, vel

* 2

for-

EPISTOLA

fortassis anteponi posse videantur. Vnā *Ferdinandus* Castellæ Rex Catholicus, Occidentem versus, ad Orbem nouum & veteribus incognitum; alteram *Emmanuel*, Lusitaniæ Rex, Orientem versus, in Indiam instituit.

Lusitani, vniuersâ Africâ circumnauigatâ, lustratisque regionibus, quæ Aequatori Tropiciq; subiacent, primi in Indiam, & ad extrema Sinarum Iaponumque regna, Christi signa feliciter transuexerunt. Atque in Africam quidem cæteris iter aperuit *Ioannes*, eo nomine primus, Portugaliæ Rex, qui septâ Mauritaniam urbem opulētissimam, in ora Gaditani freti sitam expugnauit.

Huius Filius *Henricus*, Ordinis Equitū Christi Magister, primus Lusitanis longin quarū peregrinarumq; nauigationū auctor exstitit. Eiusdē itaq; auspicijs circa annum Christi 1420. ad montē vsque *Leænam* peruentum est; insula quoque *Madera*, & aliæ vasto in Oceano sunt detectæ.

Ioanne mortuo, *Alfonsus* Quintus, *Odoardi* Regis, qui *Henrici* frater fuerat, filius, in regno successit: quo regnante

Gui-

Obijt an-
no 1460.

DEDICATORIA.

Guinea tota est lustrata.

Ioānes II. Alfonsi filius, sub annum Christi 1485. Cōgi regnū aperuit, & misa legatione honorificā, cū tribus familie Dominicanę sodalibus, ipsum Regē, eiusq; filium ad Christi sacra traduxit. Eiusdem ævo Astrolabiū ad vsū nauticū cepit accōmodari, & promontoriū Bonę Spei exploratum est: quod illi nomē idem Rex indidit, quasi felicitis aduentus augurio commotus, fore, vt illo superato, aditus in Indiam mox pateret. Anno itaque 1493. Diazius illud magno ausu primus superauit.

Ioannes moriēs, cum regni patrimonio gloriosam nauigationis explorandę Imperijq; propagādi curā *Emanueli* velut hereditariā reliquit. Is classē Indicam primus cū instruxisset, eidemq; *Vascum Gamam* cū imperio præfecisset, idē Vascus ex Europæis primus per Oceanum in Indiā, vsq; Calecutum, anno 1497. penetrauit. Eiusdem Regis auspicijs Goa totius Indiæ metropolis an. 1511. in potestātē est redacta, & Christiana Religio longē lateq; per Orientem propagata. Exstant de Emanuelis Regis

* 3

inui-

EPISTOLA

inuiētissimi rebus, annorum sex & viginti spatio, domi forisq̄ue gestis Libri XII. Hieronymi Oforij, Siluensis in Algarbijs Episcopi, elegantissimo stilo cōscripti: vt de Ioāne Petro Maffeio, alijsq̄; rerum Indicarū scriptoribus nihil dicā.

Transeo in Occidentē: versus quem primus vastum Oceanū ingressus fuit *Christophorus Columbus*, Genuensis, qui oblatā varijs Regibus ac Principibus ad nouas terras quærendas operā, sed ab omnibus (quòd rem nimis difficilē, nec vllius fructus arbitrarētur) reiectā, profectus tandem ad *Ferdinandū & Isabel-lam* Castellæ Reges, acceptā ab iisdem paucarum nauium classe, an. 1492. Hispaniolam, Cubam aliasq̄ue Orbis noui insulas detexit.

Obijt Hi-
spali anno
1506.

Ianuā sic patefactā, *Americus Vespu-
cius*, Florentinus, anno 1497. idem iter versus Orbem nouū suscepit, tāta cum laude, vt terra ab ipso detecta *America* nomē sit adeptā: etsi *Columbina* potius, à primo inuentore Columbo, quarta illa Orbis vniuersi pars dicenda esse videatur.

Hinc cū inter Lusitanos in Orientē,
& Ca-

DEDICATORIA.

& Castellanos in Occidentem, pomeria suorum Regū proferre nitētes, orta esset contentio; ne alteri alteris essent impedimento, Orbis ille nouus, Alexādi VI. Pont. Max. auctōritate, in duas veluti partes est distributus: scriptis legib⁹ ac cōditionibus, vt quidquid institutā, ab Atlantici maris insulis, quæ Hesperides nuncupantur, nauigatione Orientem versus reperiretur, Lusitanorum esset, quidquid versus Occidētem, cederet Castellanis.

Subsecutus deinde *Ferdinandus Magellanus*, natione Lusitanus, cū ab Emanuele Rege suo, ob operam, quā illi nauarat, non rectē compēsatam, ad Carolū V. defecisset, eiusdē auspicijs anno 1520. Fretū Magellanicū, ab ipso primo lustratore sic dictum, traiecit, & vastissimo maris Pacifici tractu superato, in cōspectu ferē Moluccarum insularum prælio contra barbaros cæsus, socijs suis præter Asiæ, Africæq; littora in Hispaniam reuectis, causam dedit gloriandi (quod à nemine mortaliū antea tentatum fuerat) terræ globum ab se circumnauigatum ac circinatum fuisse.

EPISTOLA

Annis proximè insequētibus duo potentissima Orbis noui Imperia, Mexicanum *Ferdinandus Cortesius*, & Peruanum *Franciscus Pizarus*, eiusdem Caroli V. Cæsaris auspicijs subegerunt, & Christianam Religionem per vastissimas illas regiones, insulasque adiectas latissimè propagarunt. Adcò quidem vt in sola India Occidentali à Castellanis detecta, sex hodie Archiepiscopatus, *Mexicanus* in Hispania Noua, *Domini-copolitanus* in Hispaniola insula, *Limen-sis* in regno Peruano, *Platensis* in regione Charcensi, *S. Fidei* in nouo regno Granatensi, & *Maniliensis* in Philippinis insulis, Episcopatus autem illis suffraganei opimeque dotati circiter quadraginta numerentur.

Taceo quāplurima illo in orbe Canonicoꝝ itemq; Patꝝ Soc. Iesu Collegia, Dominicanorū, Frāciscanorum, Augustinianorū, aliorumq; religiosorū ordinum monasteria penè innumera-bilia: sileo Mexicanā & Limēsem Aca-demias, omnium disciplinarum cultu celeberrimas; prætereo Gymnasia per eosdē Soc. Iesu Patres in celebrioribus
qui-

amhA

DEDICATORIA.

quibusq; opidis, Europeorū instar, in iu-
uentutis bonū, atq; adeò rei Christianæ
incrementum, feliciter constituta.

De statu Indiæ Orientalis, Iaponiæ,
Sinarum, aliorumq; regnorū Orien-
taliū, quæ Christi doctrinam à Lusit-
anis hauserunt, nihil hic commemo-
ro, suis id locis dicturus.

Vnum hoc porrò notandum iudico,
singulari Dei prouidentiâ ac bonitate
factum, vt Catholicam Religionē cum
impij Nouatores Europæi suis sedibus
pellere inciperent, Orbis noui incolæ,
& alio sole calentes Antipodes eam be-
nignè exciperent, auideq; amplecte-
rentur. Eidem diuinæ benignitati de-
betur Abassinorum, Maronitarum, Af-
syriorum, Chaldæorum, Babyloniorū,
Cophitorū, Rutenorū, aliarumq; natio-
nū Orientaliū ad Ecclesię cōmunionē
eo ferè tēpore felix reditus, quo Septē-
trionalis Europæ tractus (à quo pādetur
omne malum) ab eadē turpiter defecit.

Hæc & alia consideranti mihi, libel-
los hosce quattuor, *De statu Religionis
Christianæ per Orbem vniuersum*, pie-
tas communi nostræ matri Ecclesiæ
* 5 debi-

EPIST. DEDICAT.

debita extorsit: quos, Belgicos inter Antistites, Tibi in primis, *R. ne Domine*; multis de causis dicendos esse existimaui. Primum quia non solum tuæ dioecesis, aut Ecclesiæ Belgicæ, sed vniuersæ Reipublicæ Christianæ (vt generosam tuam indolē decet) curam animo agitas, utq; perniciosi hostium conatus elidantur, quā maximè contendis. Agnouit hanc tuam virtutem Ser.^{mus} Archidux *Albertus*, Princeps noster verè optimus, cū Te nondū annis fortasse, sed modestia ac prudentia maturum, in familiam suam adsciuit; Episcopū postea bono iudicio nominauit; & anno superiore Legatum ad Ser.^{um} Henricum Lotharingiæ Ducem honorificè misit. Alias tuas laudes taceo, ne palpare videar, & opto, ut maiore virtutibus tuis campum Deus cōcedat, tuo & publico bono. Bruxellis, pridie Nonas Ianuarias anni *CIO. IO. C. XIX.* ineuntis, quem salutare precor ac voueo.

Reu. ne D. V.

Studiosissimus

A V B. M I R A E V S.

I N.